



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Antonij Maioragij|| Orationes|| Et Praefa-||tiones

Majoragio, Marcantonio

Monasterii VWestphal., 1599

VD16 ZV 10313

XII. In Cieronis Topica ad C. Trebatium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68843)



IN M. TVLLII
CICERONIS TOPICA
ad C. Trebatium.

P R A E F A T I O XII.



Ententia Medicorum est, egregij Iuue-
nes: Cibi ac potionis mutationem ple-
rung, valetudini, & corporum constitu-
tioni mirifice conducere. Sic Antonius
Musa, teste Suetonio, celeberrimus Me-

dicus, cum Augusti Caesaris morbum quendam penè
iam inueteratum nullo modo calidis vnquam phar-
macis depellere potuisset: ad frigida conuersus, eum bre-
ui tempore liberauit. Sic etiam rationis expertia que-
dam animalia, ciborum mutatione reficiuntur. Cerui
serpentium cibatu, quamuis sint antiquissimi, tamen
quodammodo iuuentutem reparare, & corroborari
dicuntur: vidimus, ab equisonib. interdum equos, cum
egrotarent, in tybo siue cichoreo pasci: obseruauimus e-
tiam, canes & feles nonnunquam herbas arrodere.
Ad eò non conducit idem semper cibus: sed potius nau-
seam creat: vt etiam Crambe repetita, prouerbio ia-
ctetur, & Asopica Lingua. Sed quorsum hac? in-
quiet aliquis! Vt intelligatis, me non sine causa lectio-
nem Virgilianam, qua solebat anno superiore vobis

T t 5

esse

esset tanquam cibus animi quotidianus, in Ciceronis Topica commutare statuisse: ex quibus tamen, nisi vestra peregrinat & fuerint aures, non minorem, atque haud scio, an etiam maiorem, quam ex Virgilij lectione sitis utilitatem reportaturi. At fortasse quaeritis. Quae tam grauis ac vehemens causa me ab instituto meo remouerit. Dicam aperte & ingenue, suauissimum Iuuenes, ut & vos, & natura mea postulat. Cum omne meum studium, omnis labor, omnis cogitatio non aliud dirigatur, quam ut vobis, qui mihi luce propria chariores estis, quam plurimum prodesse possim: intellexi, qui literis inter vos operam impendunt, dum praecipue studia sequi solere: hoc est, aut Iuris Cuius, aut Medicinae: neque Professionem ullam his duabus apud vos haberi liberaliorem aut nobiliorem. Itaque secundam eorum cogitationem intendere: Quomodo fieri posset, ut utrisque his studiis lectiones meae conducerent. Sed cum ad omnem Philosophiam, quae ferè Medicinae supponitur, organum esse & quasi clauem Dialecticam intelligerem: Iuris verò Cuius magnam & amplam partem (teste Cicerone) artificiosam esse eloquentiam, quam Rhetoricam vocant: videbar planè non potuisse & Medicis, & Iuris peritis futuris me opitulari, nisi & Dialecticam, & Rhetoricam docuissim. Quod cum commodè non posset eodem à me tempore praestari subijt hoc mihi salutare consilium, ut Topica Ciceronis interpretarer, quae sedes argumentorum omnium aperiunt, siue quis in Rhetoricis, siue in Dialecticis exerceri velit. Quae scientia quam utilis sit & necessaria, nemo facile dixerit.

Lib. I. De
Inuent.
pag. 43. a.

xerit. Non enim fieri potest, ut qui sit huius artis imperitus, aut rationes suas dicendo comprobet, aut aduersariorum argumenta refellat: fundet quidem verba, locorum ignarus, & quasi incertis sedibus huc & illuc sine vlllo ordine vagabitur: sed nihil aptè, nihil distinctè, nihil ornatè dicet: & quod caput est, languida erit & eneruata eius oratio. Hæc Ars Locos docet, quasi nidulos argumentorum, ad quos sine vlllo errore peruenire possumus, & ex eis, veluti thesauris quibusdam, ad omnem orationem vel approbandam, vel reprehendendam, argumenta ducere. Et quemadmodum auceps, aut venator, nisi locum notauerit, vbi volucres, aut fera nidos ac latibula construxere, totum plerunque diem venando frustra conterit, & domum vacuus reuertitur: ita qui rationem inueniendi non didicerit ea, quibus proposita res vel confirmari, vel infirmari possit, sæpenumero diu laborans discruciat: & nihil tamen appositè dicere aut scribere potest. Quòd si quis præclarum & vtile putat esse, posse dicendo facile probare, quæ dicat: quod quis non putat? idem etiam artem, quæ id præstat, præclaram & vtilem existimare debet. Prædicant omnes Eloquentiam, & meritò diuinis extollunt laudibus: sed omnino sine argumentorum inuentione, nulla esset eloquentia. Quis non Dialecticam artem esse nobilissimam & utilissimam iudicat? attamen quid sine Topicis esset Dialectica? Ergo cum in hac arte summa sit utilitas (vt etiam ipse fatetur Cicero) ne vos pigeat, ex-

In Bruto
pag. 178. 2.
qui-

quidem in hoc Opere multa difficilia: sed nihil est exi-
 mium, quod nō idem sit etiam difficile. In hoc ab igna-
 vis studiosi dignoscuntur, cum nullo labore, nulla diffi-
 cultate perterrentur: sed quicquid utile atq; glorio-
 sum esse intelligunt, id audenti ac magno animo nō ve-
 rentur aggredi. Nam quemadmodum inter fera leo-
 nes principatum obtinent, non quia sint omnium for-
 tissimi; sunt enim animalia quadam eis multo fortio-
 ra: sed quia animi magnitudine maxime præstant: sic
 inter homines ij sunt excellentissimi, qui gloriosa faci-
 nor a forti animo magnoq; obeunt. Sunt autē quidam
 angusti, tamq; pusilli animi, qui librorū tantum inscri-
 ptione terreantur: qui cum audierint, scientiam ali-
 quam esse difficilem, ab ea si atim submouentur. Sunt
 alij, qui nullam doctrinam approbent, nisi quam ad se
 pertinere opinantur: reliquas omnes tanquam inuti-
 les spernant. Horum neutri magnam vnquam gloriam
 assequetur. Eum enim oportet hominem, qui magnum
 ex literis nomen aliquando reportare studet, qui cupit
 amœnissima Musarum vireta peruestigare: qui nihil
 iucundius, quàm multa scire, intelligit, ac rem primo &
 nimium & excelsum habere: deinde nihil à se alienum
 putare, quod ad scientiam aliquo modo pertineat. Sed
 cum omnes scientiæ liberales plurimum utilitatis ha-
 beant: tum (meo quidem iudicio) nullæ sunt utiliores,
 quàm illæ, quas Græci Logicas, quidam ex nostris Ratio-
 nales appellarunt. Cum enim soli omnium animantium
 homini, vt rationis doctrinæq; capaci, parens ille &
 autor rerum Deus loquendi atq; orationis indulserit
 munus: & (vt ait Cicero) hoc vno præstemus vel maxi-

De Orat.
 libr. 1. pag.
 87. b.

mè feris, quòd colloquimur inter nos, & quòd exprime-
dicendo sensa possumus: iure ac merito scientia,
qua nos instruunt, ut quo vno homines maxime besti-
is praestent, in hoc hominibus ipsis antecellamus, reli-
quis omnibus scientijs praestantiores haberi debent. In-
ter has autem scientias Ars inueniendi, quae Topica di-
citur, sicut ordine naturae prima est: ita etiam omni-
um utilissima. Quamobrem quis hanc non iure mire-
tur, summeq; in ea elaborandum esse arbitretur, ut
eam artem perdiscat, quae reliquis omnibus antecellit?
Nulla igitur difficultas, nullus labor ab eo vos retra-
hat, Iuvenes: cum tam utilem & praeclaram esse intel-
ligatis. Neque vos moueant quorundam imperito-
rum verba: qui, quoniam diuinam Ciceronis scientiam
& eloquentiam nullo modo gustare possunt, impura
lingua sua, & sordibus illis verborum inquinata, non
desinunt omnis leporis & elegantiae fontem maledi-
cendo conturbare: & omnis Dialecticae, atq; Philoso-
phiae ignarum fuisse Ciceronem, clamitare. Sed vi-
uant in cloacis cum barbarie sua, quicumque sunt: eius-
modi versentur in volutabris & caeno, tanquam sues:
qui cum è limpidis fontibus aquam haurire commodè
possint, malunt è lacunis & sterquilinijs bibere. Nos
probatos tantum Autores, atque in primis Ciceronem
amplectamur: hunc amemus, hunc ad verbum edisca-
mus, hunc nunquam de manibus deponamus: hic vnus
est, qui nobis veram eloquentiam & Latini sermonis
puritatem praestare possit. Sed ut magis vos etiam ad
amandum Ciceronem concitem, ex decimo Institu-
tionum Oratoriarum Quintiliani verba de Ciceronis Cap. 16

lau-

laudibus recitabo: quanquam me non latet, vos & Ci-
 ceronem mirandum in modum amplecti, & Quintilia-
 ni praeconium aliàs aut audiuisse, aut legisse: nihil ta-
 men prohibet, iuxta prouerbiū, Bis & ter, quod pul-
 chrum est, recensere. Sic igitur ille: Nam mihi vide-
 tur M. Tullius, cū se totum ad imitationem Graeco-
 rum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam
 Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec verò, quod in
 quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum: sed
 plurimas, vel potius omnes ex seipso virtutes extulit,
 immortalis ingenij beatissima uertate. Non enim plu-
 uias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed uis uis gurgite
 exundat: dono quodam Prouidentia genitus, in quo
 totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis
 docere diligentius, mouere uehementius potest? cui
 tanta unquam iucunditas affuit, ut ipsa illa, qua ex-
 torquet, imperrare eum credas, & cū transuersum
 visus iudicem ferat, tamen ille non rapit uideatur, sed
 sequi? Iam in omnibus, qua dicit, tanta auctoritas
 inest, ut dissentire pudeat: nec aduocati studium, sed
 testis aut iudicis afferat fidem. Tum interim haec
 omnia, qua uix singula quisquam intentissima cura
 sequi posset, fluunt illaborata: & illa, qua nihil
 dū pulchrius est, oratio, praese fert tamen facili-
 mam facilitatem. Quare non immeritò ab homi-
 bus aetatis suae regnare in iudicij dictus est: apud poste-
 ros verò id consecutus, ut Cicero iam non hominis, sed
 Eloquentiae nomen habeatur. Hunc igitur spectemus
 hoc propositum sit nobis exemplum. Ille se profecisse
 se sciat, cui Cicero valde placebit. Hae Quintilianus.

Cuius testimonio quid grauius dici, aut fingi potest? Illa enim vera laus est, (vt censet Hector ille Nauianus) quae procedit à laudato viro: Sed quis est, qui non diuinis ad coelum laudibus Ciceronem efferat: praeter eos, qui, tanquam scarabei, magis odore luti, quam vnguenti delectantur? Sicut enim amaracus, vnde gratissimus odor afflatur, suillo generi venenum est: ita mirificam illam Ciceronis dicendi venustatem iam in barbarissimis auctoribus inueterata aures ferre nullo modo possunt: passimq; vociferantur: Imperitum esse Philosophiae Ciceronem: cum idem grauisimus auctor Quintilianus plurimum etiam in Philosophia valuisse, & Platonis emulum extitisse fateatur. Quod etiam ex his eius scriptis intelligi facillime potest. Nam vt Libros Rhetoricos, & Orationes, & Epistolas praetermittam, in quibus omnibus maximam se Philosophiae cognitionem habere declarat, cum ex orationis & eruditionis gratia philosophicas sententias vbique spargat: quis nescit, quot Opera Philosophica, quam erudita, quam varia, quam polita, breui tempore composuerit, cum vnus Caesaris dominatu Romana Respubl. teneretur, neq; in Senatu amplius eloquentiae locus esset? quae partim iniuria temporū intercederunt: partim etiam nostro tempore cum omnium doctorum admiratione leguntur. Nihil est igitur, q̄ in Cicerone desideretur: qui maximā etiam cū eloquentia doctrinā ac eruditionem copulauit. In hoc autem Opere Topicorum, q̄ interpretaturi sumus, ostendit etiam se Iuris Ciuilis valde peritum fuisse. Nam cū ad Trebatium Iuriconsultū scriberet, voluit ex Iure Ciuili exempla sumere,

quod

Cic. lib. 15.
Epist. fa. 6.

Lib. 10. c. 1.

quod facilius ipsam artem Trebatius intelligeret: quae res vobis etiam, qui Iurisprudentiam appetitis, erit vtilissima. Nos verò doctissimum virum, neque omnino barbarum, sed ingeniosum Boetium praecipue sequemur, qui Commentarios in hoc Opus edidit: non ita tamen, ut si visum fuerit, non ab eo liberè dissentiamus aliquando: non enim ubique mihi satisfacit. Quae etiam ex Aristotele, qui libros octo De Locis composuit, multa transferam in lectiones meas. Denique, quoniam multi sunt, & veteres, & recentiores, qui satis ingeniosè de hac Arte scripserunt: ex omnibus optima quaeque seligam: & ita vobis exponam, ut aperta & facillimè declarari poterunt. Exemplum vero ipsam famam à Cicerone potissimum, ut ipsum eloquentiae Parentem discatis imitari: sed si qua etiam pulcherrima ex alijs Autoribus succurrerint, ea non aspernabor. Non enim vni Ciceroni, quamuis sit optimus, ita dedit esse debemus, ut alios omnes tot tantosque Autores negligamus: sed apes nobis unitanda sunt, quae suavissimum ac dulcissimum mellis saporem ex varijs floribus conficiunt. Voluendum est omne scriptorum genus: sed tamen optimis (ut ait Quintilianus) immorandum. Quod ad legendi rationem attinet, magis ad utilitatem vestram, quam ad ostentationem meam, studium applicare constitui. Satis enim magnam gloriam ex hoc loco mihi reportare visus fuero, si studiis vestris quam plurimum prodesse potuero. Itaque non tam copiam in dicendo, quam facilitatem quaeram. Vos pro vestra modestia, & incredibili humanitate patientissimas aures, & attentissimas mihi praebebitis. Nam si attente audieritis, si sapius

P R A E F A T I O XII. 673

si sapius deinde his exercitationem adhibueritis, omnia cōsequimini, sine qua nulla est ars, quae percipi possit: ut verissimum illud habeatur, quod Demosthenes solebat frequentissimis vsurpare sermonibus: Exercitationem omnia posse. Sed iam finis sit. Cras, Musis approbantibus, Topicorum lectionem auspicabimur.



IN M. TVLLII
CICERONIS PARTI-
tiones Oratorias.

P R A E F A T I O XIII.

Paruum quidem Ciceronis Opus de Partitionibus Oratorijs, & cum nullis ferè ceteris eiusdem Auctoris Operibus magnitudine comparandum, interpretandum hoc anno suscepimus: sed adeò præclarum, & pretiosum, ut nullū sit hoc in genere, quod vlla ex parte cum eo conferri posse videatur: ut non tantum aureolum, sed etiam gemmeum, & si quid gemmis preciosius est, meritò possit appellari. Quicquid enim ad Artis Oratoriæ præcepta tradenda pertinet, id miro quodam ordine breuiter, atque satis dilucidè complexus est in hoc vno libro Cicero. Quare nullum omnino neq; breuius opus, neq; iuuenturū vtilius inueniri posse existimo. Nam quæ fusiùs & enodatiùs alijs in libris tradita sunt, ea per capita quadam ita digeruntur hac in Opere,

V H re,